

Duplicat 4

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

1795 3a

CONSENSV PARETIUM

CORPORIS HVMANI INTER SE.

Q V A M

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS

M E D I C A E,

P R O

SVMMS IN MEDICINA HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

IN ALMA FRIDERICIANA

DIE XI FEBRVARII MDCCXCV

PVBlice DEFENDET

A V C T O R

IOANN. IOACHIM. SCHMIDT,

SVERINO - MEGAPOLITANVS.

H A L A E,

TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELII.



Ex
Bibliotheca
Reg. Univers.
Vratisl.

*Doublet
residuo vult
et in unum
Bibliotheca*

P R O E M I V M.

Quamvis doctrina consensus partium inter se, pluribus a viris sagacissimis, inter quos solummodo REGA, RAHN et SCHLEGEL, nominatos volo, elaborata est, haec attamen hucusque pars physiologiae, anatomiae ac pathologiae habebatur — mihi saltem, illam therapiae generali illatam fuisse ignotum est. — Verum enim vero, doctrina haec in arte medica magis adhuc illustranda nobis videtur; et locum, ad quem pertinet eiusque epitome argumentorum maximi momenti esse censemus; principia eius, per criticam solidam elucidanda dignam reputamus. Si insuper notiones nostras de internis functionum corporis organici conditionibus, iustiores et magis determinatas reddere volumus, nullae in nostris definitionibus notae sunt admittendae, nisi quae ab experientia petuntur, id est, quae aut intuitu continentur aut castis quasi inde ex ratiociniis derivantur. Nobis penitus dubia et non experientia solidata argumenta rei medicae sunt relinquenda. Tunc multa supersunt peragenda, neque cuique

deerit post plura etiam secula disputandi scribendique materia.

Haec pauca mihi in mentem tempore promotionis meae veniunt; quae cum animo perpendere, quaedam de consensu partium inter se deserere constitui. Cum autem doctrina de consensu hucusque tam multis premitur dubiis, ut explicatio eius et modus quo agit — sensu strictiori — ab illustrissimis, imo, philosophicis medicis frustra tentata sit: cum mihi non sperare licet, me tenebras modum effectus nervorum tegentes feliciter dilucidaturum, nullam explicationem ortus consensus dare volui, sed phaenomena quasi tantum historice narrare, mihi propositum est. Quod argumentum, etsi novum et plane inauditum non sit, spero tamen fore, ut nostra eius expositio aequis harum rerum arbitris non plane displiceat. Si tandem in dissertatione mea satis haud exacte atque absolute fuerint dicta, et ipsis erroribus implicita, benevolos rogo lectores, ne obliviscantur me esse adhuc adolescentem atque a magistro, sua in arte aptissimo, non esse conscriptas pagellas.

SECTIO I.

PAVCA IN GENERE DE CONSENSV.

A. *Libri priorem locum obtinentes, et de hac doctrina scripti, sunt sequentes.*

1. REGA, Diss. medica de Sympathia, seu de consensu partium corporis humani. etc. Harl. 21.
2. Eiusd. Tractatus medicus de Sympathia. Fran-
cof. 62.
3. RAUSNERVS, de Consensu partium.
4. I. H. RAHN, de miro Comm. inter Cap. et
visc. abdom.
5. Eiusd. Exercit. phys. de causis physicis mirae
illius tum in homine tum inter homines tum
denique inter cetera naturae corpora Sympa-
thiae. I. II. III. Turic. 86-90. 4.
6. RAHN, physische Abhandlung von den Ursa-
chen der Sympathie, von dem Nachtwandeln
und Magnetism, v. WIESE übers. Leipz. 90.
Allgem. deuts. Bibliothek. B. 102. St. 2.
7. I. CHRIST. TRAVG. SCHLEGEL, Sylloge
selectorum opusculorum de mirabili Sympa-
thia. Lips. 87. h. 1. 1. invenitur.

a.

- a. IVNI. PET. MICHELL, Diss. de mirabili quae caput inter et partes generationi dicatas intercedit Sympathia. Lugd. B. 81.
- b. IAS, Diss. de mirabili quae pectus inter et ventriculum intercedit Sympathia. L. B. 84.
- c. VERGENS, Diss. de Sympathia inter ventriculum et caput, praecipue in statu praeternaturali. L. B. 84.
- d. ANEMAET, Diss. de mirabili, quae mammas inter et uterum intercedit Sympathia. L. B. 84.
8. ROB. WHYTT'S, Beobachtungen über die Natur, Ursachen und Heilung der Nervenübel u. s. w. a. d. Engl. 3te Ausg. Leipz. 94. S. 9-70.

B. *Denominatio varia, Derivatio verbi et Notio.* Consensus vel Sympathia quae praecipue a recentioribus accuratius est indagata, attamen veteres non latuit medicos. Si enim e. g. HIPPOCRATIS pervolvimus scripta, invenimus: Consensus unus; Conspiratio una; Consentientia omnia. ^{a)} *Sympathia, Symphonia, Homologia* usurpatur in statu secundum et praeter naturam. In illo idem est quod Concordantia, commercium, Opera mutua; hoc vero significat, quando ad aliquam partem morbo correptam, aliae etiam non temere aut perfunctorie, sed graviter compati solent. ^{b)}

a) Lib. de Aliment. Sect. 4. p. 387.

b) GALEN. Aphor. 6. L. 6.

1. Derivatur *συμπαθεία* ab, *συν* cum, et verbo *παθεν*. i. e. pati; *συμπαθεως*, misericorditer; *συμπαθειω*, concordantia, consensus.
2. *Συμφωνία*, i. e. Harmonia ab *συν* cum, et *φωνη* i. e. vox; *συμφωνω* consono; *συμφωνία* consonantia.
3. *Ὁμολογία*, ab *ὁμος* similis et *λογος*, doctrina, verbum, sermo, ratio; ex his composita est *ὁμολογία* i. e. concordantia, consensus.
4. *Consensus*. Gal. Convenance Accord. Angl. Consent. Belg. Medelydenthed, Samensteming of lyding.
5. *Sympathia*. Condolentia partium. Gal. Sympathie. Angl. Sympathy. Belg. Medelyding. Germ. Die Mitleidenheit, Uebereinstimmung der Theile.

Definitio multis difficultatibus mihi videtur subiecta; hanc tamen magis ad rem facere censeo. *Forma* — manifestatio vel invisibilis vel visibilis vel clara vel obscura i. e. Aeusserung — *affectionis cuiusdam partis ab origine primaria causae stimuli seiuncta*. Die Aeusserung eines Zufalls in einem Theile der von dem ursprünglichen Sitz der Krankheits - Ursache entfernt ist. Verum tamen a veritate aberrare videntur, qui certos quosdam limites definiendos esse statuunt. Consensus enim humanus adeo reconditae semper indolis manebit, ut eius naturam plane perspicere fere nunquam videamur. Nostris praesertim temporibus argumentis sat manifestis evictum est, corpus humanum regi ac moderari viribus insitis, adeo diversis ab illis
omni-

omnibus totius universi potentiis, ut neque physicis neque mechanicis, neque chemicis regulis possint subiici. Hae quidem vires non solum omnibus functionibus corporis praesunt, sed conservant quoque illas, atque in morbis avertunt damna corpori inferenda, mortique cavent.

III. HERZ ^{c)} consensus descriptionem suppeditat, dum ait: »Der Eindruck eines Nerven wird bisweilen vermittelt des Gehirns andern Nerven mitgetheilt, die mit dem leidendem in Verbindung stehen; Sympathie der Nerven;« haec descriptio mihi nimis arcta videtur, quia in consensus explicatione nonnulli etiam membranarum continuationem assumerunt. ^{d)} Distinguendum porro mihi videtur, inter consensum naturalem, sive consensum actionum, et inter praeternaturalem, sive consensum passionum: priorem vocandum esse censeo: conspirationem quamdam plurimarum partium. ad hanc vel illam actionem perficiendam concurrentium: posteriorem: compassionem: aut condolentiam partium, qua fit, ut, una malo affecta, alia pars diversa simili, vel diverso, tristi tamen sensu condoleat.

C. *De emolumento consensus in genere.*
Consensus naturae medicatricis ^{e)} et motionis
cri-

- c) Grundriss aller medicinischen Wissenschaften. Berl. 82. S. 86.
d) 10. FRIED. SCHEIBLER, Disp. medica de membranae textura etc. Francof. ad Viadr. 39. §. XVI.
e) METZGER, Grundsätze der allgemeinen Semiot. und Therap. Königsb. 85. S. 112. §. 15.

criticae fons primarius est. In morbis nervosis sine materie, a TRISSOTO ^{f)} crisi reiecta, consensus maximi est momenti. ^{g)} Nostrum corpus gaudet vi, facultate et nisu continuo, aequilibrium omnium partium et harmonicam mutuum operationem earum conservandi et perditam restituendi. His in rebus sita sanitatis notio est, et quodlibet impedimentum huius harmoniae morbus salutatur; et nisus coniunctarum corporis virium sanitatis restituendae sine dubio est remedium quasi primum naturale ad conservationem. Quae constitutio corporis nihil certe aliud est, quam:

Mutua coniunctio et compassio partium inter se. Qui consensus se extendit omnes ad functiones actionesve corporis partium; cum tamen in quibusdam plus in aliis minus invenitur ^{h)} et opportunum nobis clavem suppeditat intricatissimorum morbi symptomatum: Nam

r) Ille, irritamentum universale et quasi perfecte extensum procreat. Sine consensu irritamenti actio se solummodo ostenderet in puncto quasi immediati contactus; sed per con-

f) Sämmtliche Schriften. Theil 4. S. 524.

g) Qui egregie hac de re disseruit, imprimis est Cl. REIL, praeceptor nunquam satis honorandus, in Memorab. Clinic. med. pract. Vol. II, Fasc. I, p. 153. seq. REIL respond. NEUMANN de crisis in morbis nervosis. Halae 93.

h) GAVRIVS Institut. patholog. L. B. 58. §. 869. De variis consensibus partium in statu praeternaturale. Vid. Ephemer. Nat. Curios. Ann. I. Obs. 20.

consensum quodlibet irritamentum statim ad rem communem et in universam corporis massam protenditur; per variasque formas. — Modificationem — manifestum sit; haecque res communis cum perfecta energia vires suas exerit.

- 2) Sympthiae cognitio diagnosin et demonstrationem plurimorum symptomatum suppeditat; hac cognitione consensuales ab veris morborum causis discernuntur.
- 3) Morborum curatio lucrum permagnum facit ex cognitione consensus. Derivatio magna est therapiae pras generalis, quaeque sine scientia consensus non in re subsistit: magnum e. g. emolumentum fert, si in curatione morborum variorum pectoris consensum inter hoc et suras novimus; hinc nobis sunt applicanda vesicatoria sinapismique, optime procedente cura. Quam sanationem praeter alios BAGLIV ⁱ⁾ et DE HAEN ^{k)} nos edocuerunt.

SECTIO II.

QVAEDAM DE LEGIBVS CONSENSVS.

I. Actio maioris irritamenti, ut experientia docet, non solum debilitat sed tollit

i) Prax. med. lib. I. cap. 9. p. 37. Etiam in Diss. de usu et abusu vesicantium. cap. 3. p. 656.

k) Rat. med. part. 3. cap. 3. p. 169.

lit minus irritamentum. Quaedam exempla hic alleganda non superflua videntur. Quae irritamenta sunt.

a) Externa: vehemens dolor dentium — nobis respiciendum hoc in casu est ad causas — sedatur, per vesicatoria brachiis apposita. Exempla adsunt quae demonstrant melancholiam per inoculationem scabiei sanatam fuisse. Ex his illucescit id phaenomenon, quod, si quidam duobus miasmatibus simul sed sensim sensimque inficeretur; unum omnem effectum primo et aliud postmodum suum produceret. ¹⁾

b) Interna: in Tussi convulsiva vehementioris irritamenti organorum respiratoriorum et admodum exaltatae irritabilitatis status adest; tunc magno cum emolumento adhibentur artificialia irritamenta in renibus. Emeticorum utilitas, irritamentum vehementissimum in stomacho efficiendum, quibus status irritatus multarum aliarum partium peropertune tollitur, consistit in illis. e g. in Tussi convulsiva et febre intermittente. ^{m)} Quod et in quibusdam casibus referri potest ad pur-

1) HVFELAND, über die wesentlichen Vorzüge der Inoculation u. s. w. Leipz. 92. S. 283. u. s. w.

m) HVFELAND, l. c. Etiam in asthmate et tanquam unicum et palmarium remedium; HOFFMANNVS Opera. Tom. III Sect. 2. Cap. 3. §. 5. HUXAMVS de aëre et morb. Epidem. p. 300. DE HAEN rat. med. P. XIV. p. 159. et inprimis STOLL rat. med. P. I. p. 136. vomitoria laudant.

purgantia, quæ tamen emeticis longe postponenda sunt.

II. *Irritamentum consensuale in his præcipue partes agit, quæ a natura in stricto consensu cum parte idiopathice irritata connectuntur.* Vel maxime in utero mammisque nobis est videndum. Morbus unius fere semper effectum suum exserit in aliis, aliarum partium; hinc, varii harum partium morbi, præprimis per remedia in aliis partibus adhibita sanantur. Haemorrhagia e. g. uteri, sæpissime efficaciter, per congestiones sanguinis hoc vel illo modo ad mammas factas sedatur.

III. *Aequilibrium sublatum virium et motionum, in organo uno, motiones oppositas in alio organo producit.* Stagnatio ullius partis adauget alterius motiones. Virium defectus organi ullius, persaepe ratione inexplicabili, maiores quoque actiones alterius excitat. ⁿ⁾ Oculus e. g. coecus dilucidiorum alterius acuit visum. Iactura sensus unius subleuat vires alterius.

IV. *Morbo et arte consensus etiam adferri possunt.*

a) Morbo: In statu hysterico v. c. nonnumquam partes laesas invenimus; nequaquam alias

n) Non alienum existimo exemplum quod huc pertinet allegare. Vid. HUFELAND neueste Annalen der französ. Arzney- und Wundarzneyk. 91. B. I. S. 290.

2) In cerebro ψ tamquam centro totius nervorum coniunctionis. Irritamentum cerebro allatum receptivitatis facultatem et cerebri partes, quasi sub forma materiae afficit, talive modo, ut representationes partim distinctae partim obscurae progignantur. Natura non solum cerebrum quasi centrum affectionum sensitivarum, sed pro involuntariis motionis organis ganglia nervorum — quae ditissimus sane fons consensus, et ad explicanda quamplurima phenomena aptissimus est — statuere videtur. Quibus ab ambabus facultatibus, coniuncta cum irritabilitate aliisve partim essentialibus partim inessentialibus corporis praedicatis, sequentes efficiuntur concausae ab his quasi mediate dependentes: quaeque vi vitali ψ supposita manifestae fiunt, ut fontes consensus adjuvantes.

a) Connectioni quoque vasorum, nervis in fitorum, concausam adstruere velim. Causa haec praestans est et fontem continet, quo laesiones topicae, universales, febres quareve spasmi unius partis contentorum accumulaciones vasorum alia in parte cre-

g) HERZ, l. c. SOMERING, l. c. S. 78.

r) Nihil equidem aliud, verbo; *vis vitalis* significare volo, quam coniunctas in corpore animato positas vires, tumque essentialia tum inessentialia praedicata; nequaquam vero solum irritabilitatem vel sensibilitatem; et sic porro; sed solummodo formam — *Acusserung* — omnium in corpore sitarum virium.

creare possunt. Neque minus annotari etiam meretur, praecipue si vasorum decursum, eorumque multivarias anastomoses spectemus, tum arctam vasorum, quotquot in corpore dantur, inter se communiorem intercedere, ut hac sola etiam de causa latissimus, quem in Medicina sanguineum systema constituit, consensus natales habuisse videatur. Hac quippe ratione facillime explicamus, qua in aliqua corporis parte, si stimulus diutius inhaeret, vasorum crispatura non tantum inducatur, sed et sanguis, maiori cum impetu aliorum saepe determinetur.

b) Analogia organismi et destinationis partium alia concausa consensus fundamentalis. Corruptio unius glandulae omnium aliarum similem mutationem efficit. *)

c) Continuitas partium. Quid facilius quam quod ab obiectis morborum repetamus. Solidum quodcumque irritatum est, oscillans ad vicina aequae ac remotiora corporis loca, quibuscum unum buasi idemque constituit; oscillationes suas protendere, quandoque augere, quin et easdem ita possit modificare, ut pro diversa affectarum partium sensibilitate earundem ad motum concipiendum dispositione variaque applicati stimuli natura, maior minorve contractio sequatur? — Urethra morbo labo-

rat

*) KEIL, I. c. p. 44.

rat dum calculi in vesica haerent, et testiculi sub renum affectibus patiuntur.

d) Vicinitas partium.

e) Quatenus cellulosa tela vi vitali quaedam, eatenus causa ad consensum; si verum est, praedicata corporis in ea partim vel in toto coniuncta esse; tunc, licet modus ignoretur, irritamenta percipere et transplantare valet.

SECTIO IV. PARTES CONSENSVS IN GENERE CONSIDERATAE.

Nervorum Anatomia a quibus consensus praecipue dependet, hic prae omnibus est consideranda, et ex his illucescit quem ad scopum medico practico subtilissimae nervorum partes non incognitae esse debeant; qua de causa mihi semper rediculum evenit, si dicitur medico practico non tam strenue, nervorum notitiam esse necessariam. Anastomosis et nervorum distributionem ab invicem discernere scopo consensus doctrinae et meo non responderet; et omnino ad partem nervorum anatomiae revertendum esset, quod tentaminis mei limites non concederent.

Dividamus hanc sectionem in duas partes in universalem nempe et partialem consensum.

A. *Consensus universalis.*

I. Consensus stomachi et praecordiorum paene aliis cum omnibus partibus corporis. Causa cuius consensus, sine dubio in plexu coeliaco nervorum fundatur. Nervorum in hoc confluxus tam magnus est, ut pro puncto medio quasi efficiente solummodo paene totius animalis oeconomiae, considerari ac secundum quasi sensorium commune vitae animalis haberi possit. Ex quibus constat, quare omnia remedia hic irritationem facientia tam magno emolumento corpori sint. Emeticorum et laxantium usus hoc ex fonte hauriendus; sic quoque hoc ex consensu ventriculi facillime explicantur, quodlibet malum corporis a quocunque inde loco efficaciter in stomachum agere et defectum appetitus aliave proferre; modo quoque eodem ex febris qualibet, nulla excepta, primo in functionibus stomachi confusio ac postmodum in systemate chylicationis oriri solet.

II. Consensus externae cum interna coniunctae superficiei corporis humani. Huc theoria frictionum innititur; cutis irritationes derivationes efficiunt. Praesente suppressione materiae transpirabilis, interna ut verisimile est augetur; variisque morbis ansam dat. Argumento eorum medicorum, qui materiam transpirabilem noxiam adsumunt; affirmant enim suppressione materiae transpirabilis facta, diarrhoeam, vel potius frequentem urinae secretionem

B

nem

nem progigni; paucis, viam vicariam naturam ingredi, discernendi primi laticis causa. Diarrhoea tamen non est sequela suppressionis materiae transpirabilis quasi causa, sed potius coeffectus unius causae. Secretio urinae et aquae in genere non scopus est, sed remedium ad alium scopum. Catarrhus, vulgo, ut exemplum adducam, non ex suppressa materia transpirabili provenit, sed status morbosus, exaltata irritabilitas vasorum membranae Schneiderianae faucium et pulmonum adest; nequaquam humorum accumulatio lymphaticorum; ut causa solummodo considerata.

III. Consensus sensationis motoriorumque organorum. Sic vehemens dolor efficit motus, causatque haud raro convulsiones.

IV. Consensus se et excretionum. Quibus secretio unius partis per illam alterius partis restitui potest v. g. si ren destruitur, si pulmo actione sua per purificationem destituitur; functiones attamen persaepe permanent, quia relicta pars negotium partis perditae in se suscipit. Cum et secretiones suppressae peregrinis longe ac remotis irritamentis proferri possunt. Huc ex refrigeratione exorta diarrhoea pertinet.

B. *Consensus in specie vel partialis.*

Caput vel proprie dictum cerebrum in proxima est Sympathia cum stomacho et hepate

te. Capitis cum doloribus appetitus defectum videmus, simulac nauseam, vomitum persaepe, uti in dentium haud raro doloribus. Hoc nobis melius experientia in vulneribus capitis observare dedit; ubi stante saepe pede vomitus sequitur. Ab animae intentione caput fatigari, dolere, congestiones aliosque morbos chronicos pati observamus. Animae labores, e. g. in revocanda quadam idea memoriae elapsa, ad caput, quemadmodum digestionis negotium ad stomachum referimus. ^{t)} Consensus cerebri cum hepate fit manifestus, statu in vehementiori pathematum animi idque praecipue in ira et terrore. Fibrarum tensio auget earum elasticitatem, auget itaque motum oscillatorium hypotheticum, nisi adsit simul rigiditas. Hinc quoque in iis hominibus, qui vel a natura vel ab educatione tensam hanc fibrarum structuram receperunt, activitas fibrillarum cerebri maior observatur. Maior observatur in affectibus; eae quidem ideae, quae affectibus percipiuntur, vividius agunt in motum fibrillarum, et is motus diutius servari faciliusque reiterari potest, dum affectus simul agunt. Sic quoque sensilitas nimis aucta, fibrillarum irritabilitatem adauget; imaginatio vegetior est et memoria vividior in his subiectis, quae sensibilitate pollent. Imo longè adhuc sensibilibior illa est conspiratio, quae ventriculo et intestinis intercedit cum capite; quare ex colica sub-

B 2 in-

c) EVETTNER function: organ. anim. peculiar. p. 9.

inde, paresis, epilepsia imo quandoque apoplex a ipsa exsurgit. ^{u)} In momento pathematis allius, simulac maior bilis copia secernitur, et effunditur in qualitate aeque ac in quantitate a natura abhorrens, et vi quasi caustica gaudens. Quo ex consensu indigitare valemus notum id phaenomenon, quod post capitis vulnera hepatis ulcera sequantur.

II. Consensus oculorum: Oculi multis nervis prae ceteris praediti sunt, partesque mere sunt confines, et ex quo magnus earum consensus explicatur. Cum cerebro potissimum manifestus fit; continens etenim et nimius oculorum usus, cephalalgiam, vertiginem, memoriae imminutionem adfert. Exempli, quibus demonstratur, parvas oculorum laesiones, spasmos vehementiores, imo, tetanum lethalem excitasse, adsunt.

a. Oculus unus cum alio arcte coniunctus est; ^{v)} idque tali modo, si unus cataracta la-

u) I. F. SCHREIBLER, Diss. citat. p. 9.

v) Ueber die Durchkreuzung der Sehnerven v. PHIL. MICHAELIS; mit Anmerkung. v. SÖMMERING. Halle 90. S. 89. Allg. deuts. Bibl. B. 105, St. I. GROSSE, Magazin für die Naturgeschichte des Menschen. 1—III. B. B. 89. 90. Ed. 2. NOTHIG'S Diss. de decussatione nervorum opticorum. Moguntiae 86. Num fibrarum medullarium isto in coniunctionis loco sit decussatio, an contiguitas, vel intima medullae utriusque nervi confusio et quem ad finem hoc ita factum sit dici certe non potest. Partem hanc quadrangularem utriusque nervo communem,

laborat, alius malo eodem, mox breviori, mox longiore tempore vexatur. Materia peregrina in cornea unius oculi, paralytin nervi ophthalmici oculorum amborum indeque perfectam amaurosin efficere potest.

b. Oculis cum naso est consensus. Lumen nimium invitat sternutationem e. g. in sole repentine. Consensus cognitio huius experientia probatur, cum multi oculorum morbi per Errhina sanari possint.

c. Consensus oculorum cum stomacho in statu celeris rotationis vel in momento intuitus motus celeris, ut etiam in adpectu colorum variorum obiectorumve, manifestus fit; et sequela per saepe est nausea, quod vulgo ut morbosus consensus considerari queat, quia paucissimis in hominibus obvenit. In hoc phaenomeno, ut equidem censeo, magna pars theoriae vertiginis Ill. HERZ ^{w)} posita est.

III. Consensus organi auditus; praecipue eveniens.

a. Cum cerebro. Aurium dolores vehementissima deliria et spasmos excitare, quid? mortem producere possunt. Haec quidem actio fibrillarum sensorii communis vel augeri vel diminui potest, utrumque ultra modum sanita-

vinculi instar inferiores partes et anteriores cerebi continere nova est coniectura. SOMMERING. de basi calvar. orig. nerv. p. 108.

w) Versuch über den Schwindel, Berlin 86. S. 114. u. s. w.

tatis, quod primum facit fundamentum morborum animi. Aucti motus fibrillarum cerebri generatim supponunt impressionem fortio-riorem obiectorum externorum: hinc sonitu violentiori, adpectu vel valde tetro vel magnopere iucundo, sensatione vivida et tactu acriori gravius afficimur, eorumque memoria facilius reiteratur, quam eorum, quae levius sensus nostros percellunt. Animadvertitur deinde, quo repentius quasi irrumpit in organa nostra sensoria obiectum externum, eo maiorem producere activitatem fibrillarum sensorii communis: fragor qui tonitru exploditur, longe fortius nos afficit, longaque diutius auditur quam alius sonus.

- b. Cum dentibus: quo evenit dolores dentium auribus oleis emollientibus impositis sanari posse et sonis dentes nonnullis stupore affici.
- c. Cum partibus motui inservientibus. FABRICIUS HILDANVS exemplum narrat. In aure infantis cuiusdam globuli subtilissimi vitrei herebant. Omnis labor extrahendi scopo incassum erat. Infans in toto latere auri globuli vitrei insidentis spasmis vexatus perpetue laboravit tussi convulsiva, usque tandem totum latere atrophica emarcuit. Quatuor annis praeterlapsis remoto globulo vitreo, omnia consensualia ac idiopathica symptomata cessabant, infans ad sanitatem redibat.
- d. Primis cum viis. Quo referendum est emolumentum magnum laxantium in cophosi.

si. *) Nam irritato tractu intestinorum alii stimuli nervosi vim suam minus vel non exerere, in alias partes sentientes mutato nervorum consensu propter irritationem abdominalem, possunt. y)

IV. Consensus organi olfactorii cum pectore. Parvo irritamento naso inhaerente, convulsiones in musculis respirationis effici experientia docet; idque tali modo ut sequela sternutatio sit. Ad diagnosin morborum variorum summum percipitur ex his emolumentum. Scias, si in statu ipso vel post inflammationem pectoris, aegrotus saepe sternutat, hoc significare indurationes et suppurationes pulmonum periculosas. z) In asphyxia notitia huius consensus nobis est remedium, quo vitam restituere valemus. Hoc in statu res magni momenti est, ut respirationem restituamus, quibus aliis remediis quam per irritationem superficiei corporis ut observationes novissimae docuerunt. Cum Errhinis nunc, vel ope irritamenti in membrana Schneideriana adhibiti irritatur, irritamentum

x) Hac de re multa magni momenti inventus, in NICOLAI FRAMBESARII Canonum et Consult. Lib. III. Tit. 4. IAC. PERIMEROSI in Encheridio med. pract. P. II. p. 94. PETR. BORELLI Centur. IV. Observat. 3. RIPPONCRATIS — Aphor. Edit. TILMANN. Giess. 1660. p. 241 — inquit „mitibus purgetur, revellentes clysters „non omitantur.“

y) Diss. de valore critico Diarrrhoeae. Auct. C. H. G. WERKSHAGEN. Halae 95. §. IV.

z) GERNER, Physiologische und pathologische Zeichenlehre, u. s. w. 2te Aufl. 94. S. 97.

tum propagatur in pectus et optato effectui respondet, dum nempe respirationem restituit.

V. Consensus dentium fortis et frequens est, inprimisque apparet in dentitione difficili infantum, quam vehementiores convulsiones, ut alia taceam, passim comitantur. Quamvis causa proxima huius convulsionis in cerebro sit posita; attamen negari non potest, dentes cum stomacho, in genere cum systemate chylopoetico in consensu esse, unde digestio laesa in dentitione difficili quasi atrophiae initium; cum pectore etiam, quod testantur, ut alia taceam, tussis et oppletio pituitosa totius systematis glandularum, quo porro exanthemata. In adultis pathemata ex consensu orientia varia sunt; cephalalgia, v. g. ophthalmia, otalgia, et quod subinde accidit, ut febrem intermittentem a dentium carie derivare possimus. In puella viginti et quatuor annos nata, singulis mensibus odontalgiam vidi, quae post duos dies cessabat, et ophthalmia cum tumoribus in arcu supraciliorum comitabatur; quae diutius permanebat usque dum menstruorum suppressio remediis tollerabatur; exinde tumores, curante menstruorum fluxu pus fundebant et tunc rursus claudabantur. Notabile deinde est dentes sibi oppositos eodem in latere consensu gaudere. Quod in dentium morbis apparet uno dente laborante alter plerumque oppositus simul laborat.

VI. Consensus pectoris et pulmonum. Nobis sufficit consensum illorum cum extremi-

ta-

tatibus inferioribus, abdomine et renibus enarrare. Quo consensu noto, facillime explicatur, quomodo ischuriam asthma sequatur — an nervorum irritatio sit causa asthmatis aut vice versa, mihi adhuc in dubio esse videtur; — quamobrem refrigeratione pedum praegressa, tussis, itidem asthma sequitur; hinc metastasis puris aliaeque materiae in pectore habitantis facile renes et partes abdominis petit, ulcera ac oedemata pedum producit. Qui consensus, in praxi magni momenti est, quia insuper effectum nobis derivantium, emolumentum diureticorum in asthmate, tussi convulsiva aliisque affectionibus, salubritatem sinapismorum vesicatoriorumve in pleuritide et peripneumonia suris applicatorum demonstrat.

VII. Consensus pulmonum, faucium et laryngis. Faucium consensus cum stomacho est coniunctissimus et irritamentum in iis positum vomitum incitat. Laryngis consensus imprimis est notabilis cum pectore et irritamentum in eo enatum efficit tussim. Faucibus imprimis magnum esse consensum oportet; hoc apparet optime in hydrophobia, cuius essentia, ut equidem existimo, in spasmu, faucium, exaltata sensibilitate ac irritabilitate topica est posita. Linguae ob diversos nervorum ramos diversus consensus est. In nonnullis morbis observamus aliam functionem linguae abolitam, aliam laesam; hoc certe probat diversitatem eius nervorum. *Organa vocis cum*

cum abdomine consensum sibi vindicant, quo fit, ut affectiones huius a vermibus vel obstructione aphoniam perfectam efficiant.

VIII. Consensus ventriculi et tractus intestinorum. Consensus hic est latissimus et efficacissimus toto in corpore et maximi momenti respectu medicaminum; nullaque pars ventriculi consensus experta est. In illo imprimis theoria morborum gastricorum fundata esse videtur et curatio ab illo fortasse pendet penitus. Nobis praecipue eo explicatur utilitas emeticorum magna, quorum effectus toto in corpore magna cum utilitate coniunctus esse solet.

Ad consensum primum ventriculi et intestinorum tractus numerantur.

- a) Cum capite. Bile aliisque peregrinis rebus repletus ventriculus, vertiginem, cephalalgiam, imo apoplexiam causat. Et animi vires vel facultas percipiendi cognoscendi et reflectendi a peregrinis materiis in ventriculo haerentibus patitur; et porrectae alias frontis homo summopere deicitur, bile in ventriculo haerente, moestitia evanescit remota causa — dixi, animi vires, quia me iudice probe discernere debemus animi vires et actiones ipsas ab actionibus sensorii communis motibusque fibrillarum. —
- b) Cum oculis. Non raro evenit, ut ventriculus a statu naturali aberrans maculas nigras scin-

scintillas ante oculos, imo, ipsam coecitatem producat. Quare saepius haec emeticis vel methodo nauseosa optimo cum successu curatur. Inveniuntur etiam, qui semper ventriculo depravato, coecitateve laborant, remota tamen causa sanabantur.

c) Cum organo auditus non tam extensus dicitur. Attamen surditas, susurrus aurium quandoquidem ex stomacho oriuntur, quo fit, ut remedia stomachum sanantia mala ex illo removeant.

d) Glandulis cum salivalibus, Lingua et labiis. Irritamentum stomachi efficere valet pyalismum non minus tremescentia labia; quare hoc signum ad signa sordium seorsim turgentium pertinet. Ex quo itidem provenit sitis consensualis, cuius proxima causa vasorum in spasmo exhalantium linguae et faucium constituitur, in impuritatibus stomachi. Interdum quoque per consensum ventriculi impeditio singultus provenit remota causa ex stomacho cessans.

e) Cum Thorace potissimum pulmonibus ac corde. Cordis palpitatio tussis et asthma ex irritamento laesi stomachi initium suum capientia huc referuntur. Tussis convulsiva maximum sane argumentum huius consensu nobis suppeditat, emeticis ut superius iamiam monui, optime curanda.

f)

- f) Cum hepate: medico practico summopere necessarius. Irritamenta praecipua cuiusdam stomachi loci varios spasmos, eorum secretiones impedire sicque icterum adferre valent. Tali quoque ratione, negotia perdurantia et vehementia icterum efficiunt; contra, et alia irritamenta ductus biliferos aperiunt icterumve sanant; ex his emeticorum emolumentum in ictero.
- g) Cum renibus. Irritamentum forte et perdurans stomachi et tractus intestinorum secretionem urinae perturbat et laedit: quod facile videmus in colicis, ne guttulam quidem urinae secernentibus. Contra tamen secretio vehemens urinae causam suam proximam in stomacho et. s. p. reperit. Eodem modo, ex hoc consensu, quem ventriculus alit, cum renibus illucescit; unde nihil paene frequentius est, quam dolorum nephritico-calculosorum indivulsos comites esse nauseam atque vomitum
- h) Cum genitalibus, idque potissimum utero. Stomachus debilitatus causa saepe impotentiae virilis est, aequo modo, crasis pituitosa vel acris in stomacho, quandoque vel suppressionem mensium vel passim fluorem album, imo, sterilitatem efficere valet.
- i) Stomachus et intestina sunt in aequilibrio respectu consensus. Virium prostratio vitalium stomachi, vehementiores colicas causare

sare potest, quae sublevantur per emeticum
persaepe unum.

- k) Tandem cum extremitatibus; considerandae nervorum productiones. Colicae perdurantes, prae ceteris rachialgia, interdum *parasi ex colica* sic dicta ^{a)} extremitatum stipatur. Irritamenta stomachi vel tractus intestinorum nonnumquam convulsiones efficiunt; phaenomenon, quod potissimum obvium est in statu verminoso. Arthritis et podagra fundamentum quasi habent in stomacho et partibus circumdantibus, imo, morbi stomachi cum paroxysmo podagrico alternant; et ex his illucescit interdum podagram ab emeticis sanatum, saltem levatum fuisse. Quid praeterea familiarius, quam quod, refrigeratis pedibus, atrocissima ventris tormina suscitentur? —

IX. Consensus pancreatis. Haec quidem pars raro idiopathice est laesa, quia sensibilitatis et irritabilitatis in minori gradu pollet; attamen continuitas partium et coniunctio earum ideae favet consensus, et revera obstructions aliave praeter naturam in pancreate observata, fundamentum phthyseos, tussis, ac marasmi sistere valent.

X. Hepatis, maxime est valens inprimisque practico considerandus: In morbis gravi-

ori-

a) NICOLAI, Pathologie oder Wissenschaft von Krankheiten. Halle 69. B. I. S. 422. BANG, medicinische Praxis, Kopenhag. 91. S. 393.

oribus hepatis per consensum eius, dolor scapulae dextrae oritur; quasi signum diagnosticum. Si hepatis induratio magna adest, aut eius chronica inflammatio, latus totum dextrum paralyti affici potest. Cum ventriculo imprimis eius consensus magnus est; quo fit, ut saepius a calculo vesicae felleae, cardialgia atrocissima, imo, hyperemesi oriatur. Sed hi motus enormes ventriculi ut salutaria naturae conamina sunt considerandi; quia his causa vel calculus removeri potest, dum motus per vehementiores stomachi spasmi calculos incarcerationes solvi possunt secundum universalem legem; *Irritatio maior tollit minorem.*

XI. Consensus renum, ureterum, et vesicae urinae. Renibus consensus est magnus cum ventriculo. Calculus etenim renum nauseam vomitumque excitare potest, Cum pulmonibus, vid. supra No. vij; tussis asthma, nonnumquam renum calculos ut causam agnoscunt, qua remota cessant. Haud raro renibus valde remotus est consensus. Bartholinus, calculum renum hemicraniam et vertiginem excitare vidit, manifestus consensus renum est cum extremitatibus inferioribus. Stuporis sensus quasi dormiturationis vel immobilitas pedis saepe morbum renum producit.

XII. Consensus uteri et genitalium. Maximus est horum consensus cum mammis ^{b)}

b) Diss. de signis foetus vivi ac mortui. Auct. C. G. M. Y. L. V. S. Iena 89. p. 9.

gula et ventriculo, idque potissimum statu in morboſo. Unde in hystericis globulus sic dictus hystericus, nullo alia modo et effectu, nisi a statu spastico oesophagi, quo sensus globuli inhaerentis oritur. Huius consensus usus irritantium in metastasibus lacteis versus uterum innititur, quibus lac ad mammas reducitur. In graviditate imprimis amplius uteri consensus illucescit; durante illa, oeconomia totius corporis, imo, modus cogitandi vel agendi mutatur. A morbis contagiosis rarius gravidae aggreſſiuntur, quia irritatio sui generis nervis inest, qua ad irritationes alias inepti fiunt. Et morbi gravidarum rarius ante partum sanari possunt; experientia hoc in febribus intermittentibus et ossium fracturis docuit. Omnes quasi vires vitales in utero efficaces esse videntur.

Genitalia sexus potioris imprimis cum organis vocis et pectore in consensu sunt; unde oritur vox virilis in statu pubertatis; inde magna debilitas pulmonum saepius onaniam et excessus in venere sequitur. Clarius hic consensus demonstratur, ubi per cataplasmata ex aceto parata, genitalibus imposita, haemoptisis nonnumquam sedatur. Tandem genitalia consensum cum cerebro agnoscunt; quo fit, ut coita nimio animae vires adeo debilitentur, ut fatuitas ac epilepsia inde orientur. Ex notitia huius consensus solum explicari potest, quare in debilitate ex excessibus veneris cataplasma-

mata frigida tantam utilitatem adferunt. Natura quasi libentius, illo in loco ubi debilitata, roborantia postulat.

T H E S E S.

- I. Usus suppositorum magna cum praecautio est adhibendus.
 - II. Opium, remedium antivenerum nullo modo dici potest.
 - III. Distinctio apoplexiae sanguineae et serosae non convenit.
 - IV. Suturae cruentae non in totum damnandae sunt.
 - V. Pessarum in forma penis est utilissimum.
 - VI. Tentoria lecto supsecta non prosunt, sed aegrotis potius obsunt.
 - VII. Summus scepticus; summus medicus.
 - VIII. Libri practici in usum popularem scripti plus nocent quam prosunt.
 - IX. Ratio poscit philosophiam Criticam scientiis in medicis uti.
 - X. Aegrotorum visitationes a clero institutae in genere potius utilitatem quam damnum afferunt.
-

Halle, Diss., 1795/1800

ULB Halle
001 938 460




3

56.

vel 18





Duplicat 4
1795 3a

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
CONSENSV PARTIVM
CORPORIS HVMANI INTER SE.

Q V A M
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS
M E D I C A E,
P R O
SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
RITE OBTINENDIS
IN ALMA FRIDERICIANA
DIE XI FEBRVARII MDCCXCV
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IOANN. IOACHIM. SCHMIDT,
SVERINO - MEGAPOLITANVS.

HALAE,
TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELII.

